



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

VIII. De homicidis & bannitis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

hanc ipsam urbem domicilium ac sedem Spiritus Sancti, omnibus inquinamentis mundatam ac purgatam. Domino Deo per omnia placenter habeamus, in hunc qui sequitur modum, quoad prafatum horrendum blasphemiam crimen, motu proprio, ex certa nostra scientia & voluntate, invocata Dei omnipotentis justitia, decernimus, statuimus & ordinamus, blasphemantes scilicet Deum Patrem omnipotentem, vel eius filium unigenitum Dominum & Redemptorem nostrum Iesum Christum, seu Spiritum Sanctum, particulatim & explicitè, vel generaliter & implicitè, attribuendo divinæ majestati quæ illi minime conveniunt, vel removendo quæ eam decent, primò convicti, si divites fuerint, compellantur ad solvendum scuta auri quadraginta, si verò pauperes, solvant decem, quæ si nequeant numerare, luant in corpore. Secunda vice convictis nobilibus, sive divitibus sive pauperibus, duplicetur poena pecuniaria proportionabiliter ad primam hujusmodi multam: Atque insuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad beneficia quæcunque, ad gradus, dignitates, & honores obtinendos. Vilibus convictis perfodiatur lingua. Tertia vice convictis nobilibus, tam divitibus quàm pauperibus, triplicetur poena pecuniaria respectivè ut supra. Ulterius sint ipso jure privati beneficiis Ecclesiasticis, & officiis quibuscunque, dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus, sint intestabiles tam activè quàm passivè. Sint inhabiles ad ferendum testamentum. Sint banniti publicè per triennium ab urbe. Vilibus imponatur fustigatio aut deportatio ad trimes per triennium & exulent perpetuò. Idem servetur contra blasphemantes ipsius Domini nostri Iesu Christi matrem beatissimam semper virginem Mariam. Blasphemi in sanctis vel sanctas Dei, corrigantur severe arbitrio DD. iudicum, habita ratione qualitatis & gravitatis criminis, cum cæteris circumstantiis jure attendendis. Volumus autem & statuimus, ut omnes poenæ exigendæ applicentur tantummodo sustentationi orphanorum utriusque sexus catechumenorum & puellarum, iudices verò tam horrendi & impii criminis deputamus & institimus RR. DD. Inquisitores nostros generales, quos volumus posse addere prafatis poenis, & maxime in corpore, si modus blasphemiarum ob gravitatem, impietatem, vel malitiam, id exposcat. Partes eorundem DD. iudicum erunt, declarare, si dubium occurrat, qui nobiles, qui plebei, qui divites, qui pauperes sint habendi.

Rom. Cal. Febr. 1554.

Leo Decimus, ex Concilio Lateran.  
Poena blasphematorum, cujuscunque generis, ordinis & qualitatis.

CAP. II.  
Ad abolendam execrabilem blasphemiam, quæ in maximum divini nominis & sanctorum contemptum supra modum invaluit, statuimus & ordinamus, ut quicumque Deo palam seu publicè maledixerit, contumeliosisque ac obscenis verbis, Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam ejus genetricem expressè blasphemaverit, si munus publicum, jurisdictionemque gesserit, perdat emolumentum trium mensium, pro prima & secunda vice, dicti officii. Si tertio deliquerit illo eo ipso privatus existat. Si clericus vel Sacerdos fuerit, eo ipso quod de delicto hujusmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum quæcunque habuerit fructibus, applicandis ut infra, unius anni multetur & hoc si pro prima vice, qua blasphematus ita deliquerit. Pro secunda verò si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur, si autem plura, quod ordinarius maluerit, & vincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad easque ulterius retinenda inhabilis reddatur, easque liberè impetrari & conferti

possint. Laicus vero blasphemus, si nobilis fuerit, per viginti quinque ducatorum multetur, & pro secunda vice quinquaginta, fabricæ basilicæ Præcipue Apostolicæ de urbe applicandorum, & aliis, ut infra dicitur, pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebejus fuerit, in carcerem deturatur. Quod infra duas vices publicè blasphemus deprehensus fuerit, mitra infami per integrum diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si vero plures hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuam carcerem, vel ad trimes damnetur, ad iudicium deputandus. In foro autem conscientie, nemo blasphemus, absque gravissima poenitentia, severi confiteatur arbitrio injuncta, possit absolvi. Qui vero Sanctis aliquos blasphemaverit, arbitrio iudicis rationem penarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam ut seculares iudices, qui contra tales blasphemias convictos non animadvertent, eoque modo poenis minime affecterint, quantum in eis fuerit, eidem sceleri obnoxii, eidem quoque poenis subiciantur. Qui verò in illis inquirendis puniendisque delictis, res & severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant. Quicumque verò blasphemiam audierint, eum verbis acriter oburgare teneantur, ultra periculum suum id fieri posse contrectari, excommunicationem deferre vel notificare apud iudicem Ecclesiasticum in seculari intra triennium debeant. Quod si plures blasphemantem simul audierint, singulorum causa re teneantur, nisi forte omnes convenerint, tunc pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes virtute sanctæ obedientie hortamur & movemus ad Domino, ut pro divini nominis honore ac reverentia in omnibus, ac cæteris præmissis omnia servari, exactissime exequi mandent ac faciant, uberrimam ab ipso Domino Deo tam boni operis ac piii mercedem habent. Itemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consequentur, cum tertia parte multæ, quæ contra blasphemum plebitur, quoties tale scelus puniendum fuerit. Quam quidem indulgentiam & remissionem multæ partem, accusatori blasphemiarum non deferenti, similiter concedi & assignari volumus, nisi poenis contra hujusmodi blasphemos per sacros canonicos expressis, nihilominus in suo robore manerent.

TITVLVS VIII.  
DE HOMICIDIS ET BANNITIS.  
Pius Secundus.  
Poena homicidarum, & eorum fautorum.

CAP. I.  
Ad retinendam infolentiam transgressorum, si neque publica disciplina lenescit, eorum ad peccandum voluntas sit laxior, & exemplum impunitatis periculosius in alios derivatur, propter quod ad prædictis officium pertinet, talem adhibere iustitiam severitatem & debitam executionem, quod commissa crimina puniat, & committendorum in posterum impediat audaciam. Cum autem ad audentiam nostram pervenerit, quod à certis annis citra, in nostris & Ecclesiæ Romanæ terris, locis, & tenementis, nobis & Ecclesiæ prædictæ mediatè & immediatè subiectis, quàm plura, quàmvis etiam ex levis causis, commissa esse reperiantur homicidia, siquæ inter alia crimen homicidii persequitur detestabile, debeatque iuxta canonicas sanctiones puniri, tantoque severius puniatur, quanto manifestius cognoscitur, quod in eo ut plurimum scandala & mala plura sublequantur. Cupientes idcirco ex debito pastoralis officii, quod nobis





& Ecclesie Romanæ prædictæ mediatè & immediatè sub-  
 jecti, juxta piam dispositionem Regis pacifici, qui regnat  
 in cœlis, pacifici sint & modesti, nonnullas pro hujusmo-  
 di crimine homicidii debite puniendo, edidimus consti-  
 tutiones infrascriptas: quas ad hoc utaliquis de eisdem  
 ignorantiam prætereundè non possit, volumus per omnes  
 & singulas civitates, nobis & Ecclesie Romanæ prædictæ  
 mediatè vel immediatè subiectas, publico præconio pu-  
 blicari; mandantes, ac auctoritate Apost. tenore præsen-  
 tium decernentes, omnes & singulos juxta constitu-  
 tionum eorundem determinationem obstrictos esse ad ob-  
 servationem ipsarum, ac si personaliter singulis intimatæ  
 forent, cum non sit verisimile, quòd ad eorum notitiam  
 non deveniret, quòd extitit tam publico præconio pate-  
 factum. Tenor verò constitutionum, de quibus supra sit  
 mentio, sequitur, & est talis, videlicet.

*Homicidii non datur salvus conductus repetendi patriam, etiam si  
 injuriæ & damni partium facti fuerint.*

CAP. II.

Sacrosanctissimus dominus noster, intendens quieti patriæ  
 consulere, & ipsam sicariis, homicidis, & malefacto-  
 ribus expurgare, statuit & decrevit, quòd omnes illi qui  
 pro delicto homicidii fuerint condemnati, seu aliàs de  
 civitate aliqua & districtu illius banniti, non possint ad  
 civitatem seu districtum hujusmodi, quoecumque tempo-  
 re redire, seu in eis vel eorum altero moram trahere, et-  
 iam habita pace ab hæredibus, vel consanguineis, seu fi-  
 liis ipsius occisi; nec legatus etiam de latere, aut Guber-  
 nator qui pro tempore fuerit, vel quisvis alius possit au-  
 thoritate Apostolica, seu ex officio suæ legationis, alique  
 homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu re-  
 vocare ad civitatem vel districtum, aut eorum alterum;  
 seu ei licentiam vel salvam conductum concedere rede-  
 ndi seu morandi in eis, vel eorum altero, in perpetuum  
 vel ad tempus modicum sive magnum, nec etiam per di-  
 em unum, sive noctem; quòd si secus per quemquam ex  
 infrascriptis factum fuerit, incidat in penam excommu-  
 nicationis ipso facto, sine ulteriori sententia declaratio-  
 nis; à qua per alium quam per summum Pontificem  
 (et tunc facta de hoc speciali expressione) non possit ab-  
 solvi; ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus,  
 & cassatio processus & banni hujusmodi, sint ipso jure  
 nulla, nulliusque roboris, vel momenti: incidat etiam  
 in penam ducatorum mille, Camera Apostolica appli-  
 candorum, quam Thesaurarius, cui hoc secretò vel pu-  
 blicò fuerit denunciatum, retinere faciat & mandet, nul-  
 lo super hoc expectato seu requisito superioris mandato:  
 quòd si non fecerit Thesaurarius, ipse eandem sententi-  
 am excommunicationis ipso facto, cum eisdem qualitati-  
 bus, incurrat: ipseque sic rebannitus, reductus, revoca-  
 tus, sive alio quoecumque modo reversus, possit & de-  
 beat capi, detineri, & incarcerari; & de ipso, secundum  
 sententiam contra eum latam, justitia fieri per Guber-  
 natorem, Potestatem, & alios officiales, ad quos spectat  
 seu pertinet, incontinenti, sine ulteriori licentia, notifi-  
 catione, & requisitione superioris, vel alterius, sub pena  
 ducatorum ducatorum auri, Camera Apostolica appli-  
 candorum vel retinendorum; quam Thesaurarius præfa-  
 tus simili modo & forma, ac sub similibus censuris, faci-  
 at retineri; prout superius est expressum. Hoc autem ex-  
 tendi voluit ad eos, qui revocati, rebanniti, vel aliàs quo-  
 modocumque remissi fuerint, quacumque auctoritate seu li-  
 centia (præterquam ex speciali commissione seu manda-  
 to Romani Pontificis, contento in literis authenticis, &  
 bulla plumbea munitis, à duobus mensibus citra, termi-  
 no dierum quindecim, quo possint de civitate liberè reco-  
 dere, eis concessio) vel qui in futurum rebannientur, re-  
 vocabuntur, seu aliàs remittentur per quemcumque, quavis  
 auctoritate prædicta, sub pœnis pecuniariis, & aliis Ecclē-  
 siasticis censuris, de quibus superius est dictum.

*Appellationi non est locus banniti ob homicidium. Exista sine  
 quinquaginta milliaribus à loco delicti extenduntur.*

CAP. III.

Item quòd quæcumque appellationes interpositæ vel  
 interponendæ ab hujusmodi vel aliis sententiis sive  
 gravaminibus contra homicidas latis, vel à processu con-  
 tra eos factò, etiam si lis vel instantia super eis pendeat,  
 & inhibitiones vigore ipsarum emisse per auditorem  
 camera, vel alium quemcumque ordinarium, vel delega-  
 tum, sint nullæ & invalidæ, nec ad ulteriora super eis, vel  
 ipsarum vigore, procedi possit ac debeat: quinimò ap-  
 pellationes lris & causæ hujusmodi, censeantur advoca-  
 tæ, extinctæ & invalidæ, nec potestates vel alii officiales  
 inhibiti, hujusmodi mandatis, inhibitionibus, lris pen-  
 dentiis, censuris & pœnis in eis contentis, astringantur;  
 imò reneantur, & debeant, sub pœnis suprapositis, ad  
 executionem sententiarum latarum procedere. Possit  
 tamen in causis aliis, à jure vel statuto permisis, appel-  
 lari ad Gubernatorem civitatis seu provincie; qui infra  
 mensem causam diffinire teneatur; quo elapso, appel-  
 latio, inhibitiò, & instantia super eis sint nulla & libere,  
 sine impedimento, possit fieri executio sententiæ vel banni,  
 ac si non fuisset inhibitiò & appellatum; quòd quæ  
 banniti & condemnati propter hujusmodi crimen homi-  
 cidii, censeantur & sint banniti ab omnibus circumvic-  
 cinis, usque ad milliaria quinquaginta, infra quæ, si  
 reperti fuerint, possit & debeat capitalis sententiæ, sive  
 condemnationis pecuniariæ executio fieri contra eos,  
 per potestates & alios officiales, civitati, districtui, &  
 loco prædentes, sub pœnis pecuniariis simili forma  
 imponendis.

*Homicidii notorii rei quibus panis subiciantur.*

CAP. IV.

Item quòd omnes & singuli homicidæ, quorum deli-  
 ctum notorium fuerit, vel de homicidio infamati, seu  
 condemnati, etiam si de delicto hujusmodi, ex forma sta-  
 tutorum, non possit inquiri, vel aliqua pena imponi,  
 vel etiam si ipsius delicti, vel pœnæ pro eo interpositæ,  
 auctoritate Apostolica, vel alterius, ab ea vel à Romano  
 Pontifice potestatem habentis, sit facta remissio, cassatio  
 processus, & sententiæ annullata, vel aliàs quomodolibet  
 dispensatum, per viam gratiæ seu justitiæ, in toto vel  
 in parte, non possit habere officia vel dignitates in qui-  
 buscumque locis, civitatibus, & terris, à quibus banni-  
 ti fuerint, in quibus domicilium eorum originemque  
 habuerint, seu aliam moram traxerint, vel resederint,  
 etiam si fuerint absoluti, rebanniti, vel aliàs eorum  
 sententiæ, seu condemnatio, sive processus cassati, irri-  
 tati vel aliàs pro infectis habiti; sed perpetuò sint in-  
 famati, & omni dignitate privati, nec possint ferre testi-  
 monium, nec tabellionatus officium exercere, non ad-  
 mittantur ad judicandum, seu ad aliud officium exer-  
 cendum; & ab omnibus actibus legitimis sint perpetuò  
 suspensi; quinimò si hujusmodi officia acceptaverint,  
 exercuerint, seu ad ea exercenda admissi fuerint, tam ipsi  
 quam gubernator, legatus aut superior, qui eum elegerit,  
 vocaverit, aut ipsum officium exercere, seu ei præesse  
 passus fuerit, penam quingentorum ducatorum auri,  
 ipso facto incurrat, & sua gubernatione privetur, nec  
 gesta in iudicio, vel extra iudicium, tam per eum qui ad-  
 missus fuerit ad officium, quam per eum, qui illud ab eo  
 exercere passus fuerit, de cætero valida sint, & robur ob-  
 tineant: quinimò sint nullius roboris vel momenti, &  
 si Ecclesiastica persona fuerint, excommunicationis sen-  
 tentiam ipso facto incurrant.

Sixtus IV.

*Deo & hominibus exopti viri sanguinum, ad versus quorum au-  
 daciæ & ferociorem petulantiam constituto à Pio II. edita proben-  
 tur & confirmatur.*



## CAP. V.

**D**eo & hominibus abominabiles esse viros sanguinum, Propheta testatur, nec immerito, cum horrenda sevitia, non solum corporum, sed etiam animarum eorum, quos interimit (si non sint armis spiritualibus, divina proveniente gratia, praeveniente) deperditionem procurare noscantur, pro quibus Dominus noster Iesus Christus mortem subiit temporalem. Ad reprimendum igitur talium conatus nefarios, plurimum conferre arbitramur, contra eos qui huiusmodi detestabile scelus patrare non expavefcunt, iustitia severissima puniri, & latus pro tempore condemnationes debite executioni demandari: eaque quae pro talium condemnationum faciliori executione, & scilicet huiusmodi persecutione, à praedecessoribus nostris providè emanarunt, ut eò firmius observentur, quò fuerint saepius Apostolica auctoritate munita, libenter approbantes, munimine roboramus, atque alia desuper statuimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem per scilicet record. Pium Papam II. praedecessorem nostrum, accepto, quòd à certis annis tunc elapsis citra, &c. Cum autem (sicut nuper accepimus) contenta in eisdem literis ab aliquibus temporibus citra non fuerint observata, & ex illo tempore in observantia subditi praefatae Ecclesiae promptiores fuerint ad homicidia committenda, jamque ferè passim quotidie homicidia perpetrentur, & homicidia praefata idè ad illa committenda promptiores existant, quia sperant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse, nos qui detestabilem & horrendam salumficatiorum nequitiam, ad aliorum cautelam, opportunitatis remediis prosequi studio cupimus indefesso, habitis super his cum fratribus nostris, praefatae Ecclesiae Cardinalibus, deliberatione matura, & de illorum consilio, statuta & decreta Pii praedecessoris praefati, & prout illa concernunt, omnia & singula in dictis literis contenta, auctoritate Apostolica, praesentium tenore, approbamus, & robur perpetuum firmitatis obtinere debere decernimus, ac volumus, & praefata auctoritate de eorundem fratrum consilio statuimus & ordinamus, quòd condemnati haec tenent, & quos in posterum condemnari contingeret ubilibet, in civitatibus, terris, & locis praedictis, pro homicidio, sive ut principales, sive ut auxiliium, consilium & favorem praestantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illos saluum conductum, & licentiam securè in loco patratu criminis, vel et infra quinquaginta miliaria (ut praefertur) propinqua, nullatenus obtinere possint ab alio, quam à nobis, & Romano Pontifice, qui pro tempore erit, & alicujus alterius, etiam Legati de latere, remissio nemini suffragetur. Et si forte contingeret, nos & eundem Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad remissiones sive saluum conductum huiusmodi procedere, talis remissio per praecipuum processisse censeatur, & nemini prodesse possit, nisi in illa verè praesentium literarum tenore de verbo ad verbum, non autem per clausulas idè importantes, insertus foret, & specifica, & determinata causa exprimeretur, quae nos & successores nostros induceret ad derogandum praesentibus, quae cum tam matura deliberatione à nobis emanarunt. Roma 14. Calend. April. 1484.

## Iulius Secundus.

*Homicidii reos & exules ob quocumque capitale scelus bannitos recipientes & tuentes, panni canonici & à iure statuti plebuntur.*

## CAP. VI.

**D**udum per scilicet record. Pium Papam II. praedecessorem nostrum, accepto quòd à certis annis tunc elapsis citra, in terris, locis, & tenimentis Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis quàmplura etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, &c. Et deinde pia memoria Sixtus Papa IV. etiam

praedecessor noster, accepto per eam quòd in praedecessoris literis contenta à certis annis tunc elapsis citra non fuerant observata, &c. Prout in supra scriptis praedictis plenius continetur. Cum autem nos pro assumptionis nostrae ad summum Apostolatus apicem propter guerras, quibus non solum civitates, terra, & loca temporalia domino eidem Romano Ecclesiae subiecta, sed etiam tota Italia decem fere annis, magno cum commotum in eis habitantium incommodo vexata fuissent, in eisdem civitatibus, terris & locis, praesentium in urbe medietate ac diuturna odia, & discordias, civilesque dissensiones vigere, ac furta, latrocinia, homicidia passim perpetrari cognoverimus, mente revolentes praesentium tantum praedecessorem & avunculum nostrum, quomodo Cardinalatus honorem exeret, ad decorem & venerationem urbis praedictae, & illius temporum restitutorum ac personarum eisdem urbis, ac aliarum civitatum & locorum eidem Romano Ecclesiae subiectorum commoda, aciem suae considerationis extendisse, illiusque permoti, animum ad sedandum discordias & odia, sicut in dicta urbe quam aliis civitatibus, terris, & locis eidem Ecclesiae subiectis ad firmandam perpetuam pacem & quietem, non sine maximis animi & corporis molestiis & curis, pro subditorum nostrorum commodis appetivimus, idque opportunis iuris remediis omnino statuerere cupimus. Habita igitur super his cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio, literas Pii & Sixti praedecessorum praedictorum, & prout illas concernunt, omnia & singula in dictis literis contenta, auctoritate Apostolica nos praesentium approbamus, & innovamus, & robur firmitatis perpetuae obtinere debere decernimus, ac illis bannitos, exiitios, & rebelles, aut alios pro quocumque alio crimine capitali, à quibusvis officialibus, tam in dicta urbe, quam extra eam, & in terris eidem Romano Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, & in locis praedictis pro tempore condemnatos, ac brigolos, necnon praedictam iuxta ordinationes dictae urbis Apostolicae subiectae approbatas facere recufantes, necnon iurisdictionem contra alios dicentes, aut cavalcatos sine Romano Pontifice, aut officialium suorum speciali licentia facientes vel moventes, praefata auctoritate, de eorundem fratrum consilio extendimus, ac universis & singulis tam in dicta quam Ecclesiasticis, cujuscuque status, gradus, conditionis, excellentiae, dignitatis, Ducibus quoque Comitibus, Baronibus, domitellis, necnon communitatibus, civitatibus, civitatibus, terrarum, castorum & aliorum quoruncumque locorum, nobis & eidem Romano Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, districtè praecipiendo mandamus & inhibemus, ne aliquis eorum homicidas, bannitos, exiitios, & rebelles, aut pro alio capitali crimine condemnatos, aut brigolos, pacem facere recufantes, seu jus sibi contra alium dicentes, aut cavalcatos facientes vel moventes, in eorum civitatibus, castris, seu locis aliis quibuscuque recipere & retinere, seu auxilium, consilium vel favorem directè vel indirectè, publicè vel occultè, per se vel alium praestare, aut in eorum domibus, seu castris, vel locis recipere & recipere praesumant.

Et quis contra inhibitionem & mandatum huiusmodi quovis modo directè vel indirectè de cetero venire contempserit, nos omnes sic contravenientes, contra quos per Pium & Sixtum Pontifices, & Apostolicos praedecessores nostros Romanos Pontifices, & Apostolicos Legatos etiam factis esse debita provisionem, excommunicationis majoris, & anathematis sententiam, à qua non nisi ad nos, vel eisdem successoribus, praeterquam in mentionis articulo constituitur, & debita satisfactione praestata absolvi possint, incurrere, eosque omnibus & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus realibus & personalibus, ac civitatibus, castris



castris, terris, locis & dominiis eorum, dignitatibus, & honoribus, iuribus, officiis, ac etiam feudis, & concessionibus quibuscumque, quae a nobis & Romana ac quibuslibet aliis Ecclesiis obtinerentur, sub quacumque verbo, um forma & tenore, ac cum quibusvis fortissimis & insolitis clausulis, immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis, etiam praefertur in abincursum poena privationis ipso iure (quorum tenores ac si de verbo ad verbum inferri ferent, praesentibus pro expressis haberi volumus.) eo ipso privatos, & inhabiles ac indignos ad illa & quaelibet alia in posterum obtinenda, & quoscumque actus legitimos exercendos fore nunciamus, & alia per nos & successores nostros absque aliqua declaratione super incursum poena privationis huiusmodi, aut citatione eorum qui privationis poenam incurterint facienda, aliis personis in feudum seu vicariam, aut alias, ac si per lapsum temporis concessionis, aut finitam lineam, ad distantiam Cameracensem revertentibus, libere concedere, ac alias de illis disporre posse decernimus & declaramus, nec non civitates, terras, castra, & loca praedicta Cameracae Apostolicae confirmationis, incorporationis, applicatae, & appropriatae, ac confirmatae, incorporatae, applicatae, & appropriatae esse, sicut contra venientes pro rebelibus eiusdem Romanae Ecclesiae haberi & teneri debere volumus, eorum subditos, & vasallos, & arcium, civitatum, terrarum, castrorum, & locorum praedictorum castellanos, a quocumque fidelitatis iuramento, quo ipsi essent quomodolibet affecti, penitus absolventes. Civitates quoque, terras, castra & loca praedicta, si ad eisdem Romanae Ecclesiae obedientiam se non reduxerint, seu in praemissis quomodolibet deliquerint, & etiam quorocumque, eis consilium, auxilium, vel favorem quovis modo directe vel indirecte, publice vel occulte praestantium, etiam quacumque Ecclesiastica vel mundana, etiam Regali praesulgeant dignitate & excellentia, ut praefertur, & ad qua eos declinare contigerint, Ecclesiastico subiciamus interdictioni, tamdiu firmiter observando, donec ibidem fuerint, etiam per triduum post inde discessum. Illos quoque qui aliquem fecerint culpabilem in praedictis, & nobis vel successoribus nostris infra triam dierum spatium non retulerint, vel alicui per quem ad nos verbum fideliter praefertur, similes poenas incurere volumus.

Pius Quartus.

*Homicidii reo in carcere constituto audiatur, nec prius ad locum carceris remittatur, quin heredum occisi iuri satisfecerit.*

CAP. VII.

**C**um nos dudum vestigiis felicis memor. Iulii Papae II. praedecessoris nostri inherentes nullum homicidii reum, qui se ab illo, etiam sub praetextu quod alium bannitum occiderit, seu ab alio banniti occidit, iuxta formam bannimentorum id permittentium, nominatus fuerit, aut ex alia quavis causa absolvi debere praetendat, ad absolutionem petendum per procuratorem, aut excusatorem, seu defensorem, etiam velut quemlibet de populo comparentem, audiri vel admitti debere, nisi ipse reus se in carcere personaliter constituerit, statuerimus & ordinaverimus, prout in nostris desuper editis literis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Verum cum, ut nuper accepimus, a nonnullis in dubium revocetur, an in dictis nostris literis solum homicidii banniti vel condemnati, non autem illi qui nondum condemnati vel banniti essent, comprehendantur. Nos propterea omnem ambiguitatem circa praemissa amputare & penitus tollere volentes, motu simili, & ex nostra certa scientia, nec non motu simili, & ex nostra certa scientia, hac nostra perpetuo valitura constitutione, nullum ab homicidio, seu alio quovis crimine, pro quo poena corporalis veniat imponenda, ex aliqua causa, etiam qua alium bannitum occiderit, vel ab alio banniti occidit, iuxta formam proelamatum & bannimentorum id permittentium, vel constitutionum desuper editarum, nominatus fuerit, sive etiam qua ab

ipso occisus, bannitus & condemnatus extiterit, ac impune ex dispositione dictorum proclamatum & bannimentorum seu constitutionum occidi poterit, se absolvi debere praetendentem, sive pro homicidio, aut alio crimine per eum commissio bannitus & condemnatus sit, sive nondum bannitus nec condemnatus, nec etiam inquisitus existat, per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparentem, ad absolutionem petendum admitti vel audiri posse, nisi se prius in carcere constituerit, & ad causam haredes, ab ipso occisi, citati, & in eventum quod quis ab homicidio per ipsum commissio ex eo quod alium bannitum occiderit, vel ab aliquo banniti occidit, ut praefertur, nominatus fuerit, se absolvi obtineat, eum nihilominus a loco in quo haredes occisi commorantur, quousque ab illis pacem obtinuerit, exulare debere, neque ad eum locum aliter, nisi pace ab illis habita remitti posse, perpetuo statuerimus & ordinamus. Inhibentes nihilominus omnibus & singulis iudicibus quacumque auctoritate fulgentibus, sub excommunicationis lata sententia, aliisque arbitrii nostri poenis, & nostris etiam de latere Legatus sub indignationis nostrae poena, ne contra tenorem huius nostrae constitutionis, de cetero quempiam sic, ut praemittitur, se absolvi petentem, nisi in carcere constitutum, quoquomodo audiant vel admittant: & ubi fecus fecerint, processu taliter habitos, ac sententias desuper latas, nullius fore momenti, ac nullitatis vitio subiacere, & illis non obstantibus, eos sic absolutos poenis debitae, seu de novo inquiri posse. Rom. 2. Feb. 1563.

Sixtus V.

*Rei pro cuiusvis flagitii culpa ad capitalem poenam damnata etiam per contumaciam, non audiantur, nisi in carceribus constituti, & haredibus eorum ad quos actio pertinet citati.*

CAP. VIII.

**I**ter alias felicis recordat. Pius Papa IV. praedecessor noster motu proprio, & ex eius certa scientia, sua perpetuo valitura constitutione sanciverit, nullum ab homicidio, seu alio quovis crimine, pro quo poena corporalis veniret imponenda, ex aliqua causa, vel qua bannitum occiderit, seu ab alio banniti occidit, iuxta formam proclamatum & bannimentorum id permittentium, vel constitutionum desuper editarum nominatus fuisset, sive etiam qua ab ipso occisus bannitus & condemnatus extitisset, & impune ex dispositione dictorum proclamatum & bannimentorum, seu constitutionum occidi poterit, se absolvi debere praetendens, seu pro homicidio, aut alio crimine per eum commissio bannitus & condemnatus foret, sive nondum bannitus & condemnatus, nec inquisitus existet, per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparentem, ad absolutionem petendum admitti vel audiri posse, nisi se prius in carceribus constituerit, & defuncti haredes ab ipso citati fuissent. Et in eventum quod quis ab homicidio per eum commissio, ex eo quod alium bannitum occiderit, vel ab alio banniti occidit, nominatus foret, se absolvi obtineret, eum nihilominus ad locum in quo occisi haredes commorantur, quousque ab illis pacem obtinisset, exulare debere, neque ad eum locum aliter nisi pace ab illis habita remitti posse, perpetuo statuerit & ordinaverit. Inhibentes nihilominus omnibus & singulis iudicibus, tam secularibus, quam Ecclesiasticis, etiam nostris de latere Legatus sub indignationis sententiae poena, ne contra constitutionis huiusmodi tenorem de cetero quempiam sic, ut praemittitur, se absolvi petentem, nisi in carcere constitutum quoquomodo audeant vel praesumant, & ubi fecus fecerint, taliter per eos habitos processus, & sententias desuper latas nullius fore momenti, ac nullitatis vitio subiacere, & illis non obstantibus, eos sic absolutos poenis debitae puniri, seu de novo inquiri posse. Sicque per quoscumque iudices & Commissarios quavis auctoritate fulgentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate & auctoritate, iudicari debere decre-







eorum iudices ordinarios traducere, & tradere, sub similibus poenis tenerentur, & deberent, de novo statuit, ordinavit, inhibuit, & declaravit. Et similiter quibusvis dictæ sedis Legatis etiam de latere, ac Nunciis, & Provinciarum Rectoribus, necnon suis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis communitatibus, omnem super abolitionis homicidiorum huiusmodi, per eum & prædecessores suos ac sedem eandem, sub quavis forma & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem & facultatem revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit. Et si quando similes abolitiones per eum, & successores suos Rom. Pontifices, & sedem præfatam concedi contingeret, illas per iudices & officiales, ad quos pertineret, nisi triax litteræ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis litteris huiusmodi cum expressa derogatione præsentium desuper emanarent, nullatenus admitti vel observari voluit, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

Cum autem statim ubi nos ad summi Apostolatus apicem divina cooperate providentia assumpti fuimus, ob curandam literarum non observantiam in eisdem civitatibus, terris & locis, ac etiam in alma urbe nostra varias dissensiones, discordias, & odia vigere, latrocinia & homicidia, aliisque nefandissima crimina perpetrari, ac præfatos Pium II. Paulum, Sixtum, Iulium, Leonem, Clementem, ac Pium IV. prædecessores pro fossici ac tranquillo statu & comodo personarum tam dictæ urbis quam aliarum civitatum, terrarum & locorum prædictorum, præmissa statuisse, ordinasse & peregerisse perspexerimus: Idcirco nos quoque eadem ratione quietis videlicet ac pacis moti, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione maturata, ac de illorum unanimi consilio & assensu singulas Pii II. & Pauli, ac Sixti, necnon Iulii, & Leonis, & Clementis, & Pii IV. prædecessorum litteras huiusmodi, cum statutorum, ordinamentorum, extensionum, ampliationum, revocationum, cassationum, irretationum, annullationum, decretorum, confirmationum, incorporationum, applicationum, voluntatum, hortationum, requisitionum, & mandatorum, omnibusq; & singulis aliis in eis respective contentis clausulis, Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisq; perpetuum & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus & singulis, quos illæ concernunt, penitus ac sub prædictis per contrafacientes irreversibiliter incurrendis poenis oblovari volumus atque decernimus, eisdemq; litteras ad hoc, ut si homicidæ, sicarii, banniti in civitatibus, terris, castris, & locis prædictis cuiquam damna aliqua intulerint, ipsiq; damnis taliter illatis, à civitatibus communitatibus, ac terrarum, castrorum, & locorum huiusmodi universitatibus capti & deprehensi non fuerint, sed taliter delinquentes impudè evaserint, communitates ac universitates huiusmodi (præter hoc, quod ad damnum quorumcumq; sic illatorum parti lætæ, damna que huiusmodi patienti, eorumq; hæredibus plenariam restitutionem & satisfactionem omnino teneantur) ad tantumdem quantum damna illata huiusmodi extimata fuerint, Cameræ Apostolicæ realiter & cum effectu persolvendum omnino sint astricti, auctoritate & tenore præfatis extendimus & ampliamus. Mandantes eisdem communitatibus & universitatibus, quatenus ipsæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub majoris excommunicationis, ac alii nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici beneficiis poenis, eosdem sicarios & bannitos, in eorum civitatibus, castris, terris & locis commorantes, seu per eas & ea transeuntes, capere, & ad populum convocandum & coadiuvandum campanas pulsare, eosq; sic captos ad carceres conducere, aut Curie temporali consignare omnino teneantur. Rom. 3. Non. Jul. 1566.

Sixtus Quintus.  
In sicarios, bannitos, latrones, & homicidas a quæssima constitutio, priorum Pontificum decreta confirmans.

CAP. X.

**H**oc nostri Pontificatus initio, inter multa Reipublicæ damna & incommoda, quæ menti nostræ obversabantur, nobis longè fuit gravissimum, quod populos S. R. E. ditioni temporali subiectos, non modo ad rerum, substantiarumque suarum perturbationem & iacturam, sed etiam vitæ periculum redactos invenerimus, exulibus, bannitis, cæterisque id genus facinorosis hominibus ita undiq; ingruentibus & grassantibus, ut vix quisquam ab hac hominum peste tutus alicubi consistere posse videatur. Quare cum adhuc sananda mala, ex officio nostri debito, & præcipua erga nostros ac ejusdem Rom. Eccl. subditos charitate assidue extimulemur, nihil non agere & tentare decernimus, quo populis optata quies, salus, securitas & tranquillitas per nos restituatur. Quod ita demum, Deo auxiliante, speramus nos esse consecuturos, si caute provideatur, ne ulum domi forisq; intra extrave fines nostros criminosis hominibus huiusmodi pateat diffugium aut receptaculum, sed omnino legum & magistratum severitatem, iustitiamq; gladium subire, ad debitas poenas luere cogantur.

Itaque de fratrum nostrorum consilio omnes & singulas constitutiones à secl. record. Pio II. Paulo etiam II. Sixto IV. Iulio similiter II. Leone X. Clemente VII. Iulio III. Pio etiam IV. Pio V. Greg. XIII. & quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, suo cuiusq; tempore in detestabile prædictorum & aliorum infra scriptorum hominum genus, pro temporis & criminum ratione editas, cum omnibus & singulis eis contentis, quoad ea quæ præsentibus non contrariantur, & excepta excommunicationis sententia, per easdem constitutiones in illis contravenientes promulgata, quam ne animarum perniciem ponus quam salutem adferas consilio tollendam & submovendam duximus, ex certâ scientia nostra approbantes & innovantes, illarumq; omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, pro expressis & insertis haberi volentes. Romæ primo Anno Pontificatus Sixti V.

TITVLVS IX.  
DE FALSIS ET FALSVM EXPO-  
nentibus.

Innocentius VIII.

Persona qualitatem & conditionem mentientes, in aliquid falsum consequantur, res hoc obsequio transito affectu fructu careant.

CAP. I.

**C**um, sicut non sine displicentia accepimus, nonnulli conscientia suæ prodigi, & avaritiæ morbo laborantes, ut litteras Apostolicas gratis expendant, & officiales debita eorum portione defraudent, in eisdem litteris se nonnunquam venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut dilectorum filiorum abbreviatorum de majori præsentia, seu litterarum prædictarum scriptorum, necnon aliarum personarum quarumcumque, ex quarum qualitatibus & privilegiis sive antiqua consuetudine litteras ipsas gratis expedire solent, nepotes, & quandoq; germanos, interdum verò familiares continuos commensales fuisse & esse affirmare, & ut tales in dictis litteris se inscribi facere ac fecisse non vereantur, cum revera tales non fuerint, in animarum suarum periculum, ac officiorum Roman. Curie non modicum præiudicium & gravamen: Nos fraudibus & deceptionibus huiusmodi prout nostro incumbit officio de remedio opportuno providere volentes, inotu proprio, & ex certa scientia, omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus & conditionis fuerint, & quocunq; nomine